

SOLIS NATURA
PRINCIPIS FIGURA:

sive

PRINCEPS SOL, SOL PRINCEPS,

In

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMO, PRINCIPE
AC DOMINO,

D^N. CHRISTIANO,

DUCE SILESIAE LIGNICENSI, BREGENSI
& WOLAVIENSI,

Qui heu! pridie Calend. Mart. Anno Chr. N.
M DC LXXII. in Aula Lignicensi denatus, ac pridie Calend. April.
solenni pompâ Tumulo illatus, tertio ab Exequiis coeptis die,
auctoritate publicâ, Panegyrico Schemate
adumbratus

abs

Ephraim Heermanno P.C.

& Scholarum Lignitii Conjun-
cturæ Rector.



Steinovia ad Oderam
Ex Chalcographo ERASMI RÖSNERH.



SERENISSIMÆ atq; CELSISSIMÆ PRINCIPI
AC DOMINÆ,

DOMINÆ LOISÆ,

DUCI VIDUÆ SILESIAE LIGNICENSI,
BREGENSI & WOLAVIENSI,

Natae Principi in Anhalt / Comiti in Uschanien / Dominæ in
Sersst & Bderenburg /

Summæ Tutrici ac Gubernatrici;

PRINCIPI AC DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ.

Mausoli Cineres, quos Artemisia tincti
Fletibus; hic sisto, dedico, doq; Tibi;
Illustris RECTRIX, parili complexa es amore,
CHRISTIANUM, parili post quoq; Busta colis.
Curasti Loculuth de nobiliore metallo,
Artis Opus; Fidei quod sit & artha Tuz.
Vilescet Cariæ Cippus, Fidissima Conjux,
Hæc Tua Posteritas & Monumenta canet.

ILLUSTRISSIMO atq; CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. GEORGIO WILHELMO,

DUCI SILESIAE LIGNICENSI, BREGENSI,
WOLAVIENSI,

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Vimus Exequias Domui Populoque dolendas,
Dum rapuit Patriæ trux Libitina Patrem.
Audaci hæc etenim conculcat poplite Fasces,
Ejus ad insultum nil Diadema valet.
Tristior atratis squalibat vestibus Aula,
Visus & est oculo & mente sedere Dolor.
Haut cadit illæsis arbutis ardua Quercus,
Afficit avulsam Membra dolore Caput.



Ingre-

367637

Ingreditur pullo Mæror stipatus Honore
Mœsta magis facies fertur honora magis.
Plena sonat lacrumis defuncti Concio laudes
Principis, & supplex sternitur ante Deum.
Hæc inter tacuisse nefas Lamenta Lyceum,
Se tanto occisum Funere quando videt.
Obtenebratus ego totus caligine Mentis,
A Phœbi roseo scæneror axe jubar.
ILLUSTREM ILLUSTRICUM PRINCIPE comparo SOLEM;
Atque Tuum tali laude fuisse Patrem
Affero, DUX FILII CELSISSIME; comprobat omnis,
Qui non in sudo Lumina Sole negat.
Grandiloquo, fateor, fuerant hæc Fata cothurno
Digna; sed in Magnis & voluisse sat est.
Suscipe, devoto quæ scripsi ac pectore dixi,
Solis & ingenium, Patris imago, fove.
Et Sol collustrat Cedros humilesque Myricas,
A Te sic refici Sole Myrica volo.
Cantandæ Cunæ; quid ago, dum Tristia mitto?
Nec dum transmitto hæc, insipienter ago.
Nascimur & Morimur; Natalis Funera sarcit;
Efficit hæc Lux, quod non sine Luce sumus.
Si Deus annuerit, quæ Subdita vota requirunt,
Post Soles nobis Soleris innumeros.
Christianus Pater occubuit; WILHELME GEORGI:
Tu Christianus eris, Solis & instar eris.
Patre orbis Patriæ Pater audis; Cresce, Paterq;
Multiplici vegetâ Prole aliquando Domum!

SERENISSIMÆ atq; CELSISSIMÆ PRINCIPI
FILIAE

DOMINÆ CHARLOTTÆ,

PRINCIPI SILESIAE LIGNICENSI ac BREGENSI,
DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ.

Uâ pietate Tuum, CELSISSIMA NATA, Parentem
Luxeris, & Cœlum vidit & obstupuit.
Hæc nec Charta filet: Nunc quod si Oracla loquantur;
Abnuerent, habeas quod Pietate parem.
Non hac Laude datur potior Laus: Utilis omni
Inq; Solo Pietas eminet, inque Polo.
Epigraphen mirans Gens Cœlica fixit Olympo:
Digna Astris Pietas nunc quoque regnat Humi.

A 2

ILLU.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DN. AUGUSTO COMITI de LIGNITZ,
Domino Districtus Pribornensis in Ganterdorsff/Neudorsff
& Cortwiz.

GENEROSIS, MAGNIFICIS & PRÆSTRENUIS
DOMINIS

Confiliariis Primicereis

atq;
Ducatum Ligio-Brega Wolaviensis

CAPITANEIS

Prudentia ac Equitatis laude Inclutissimis
DOMINO

JOHANNI ADAMO à Bosadostzky
& Postelwitz / Hæreditario in Kohrau / Hânichen
& Neudorsff.

DOMINO

JOHANNI à Schweintzen/
Hæreditario in Mertschütz / Scholl / Zâschken-
dorsff & Wolmsdorsff.

DOMINO

SIGISMUNDO à NOSTITZ,


Hæreditario in Ransfen / Ober-Leppersdorsff / Raitzschmans-
dorsff & Groß-Panden.

CELSISS. PUP. EX TESTAMENTO TUTORIBUS

Dominis ac Mæcenatibus suis Gratijs.

T Rincipis Illustris vulgo Praconia; dixit
Tutores qui Vos constituitq; Domus.
In pupillari & Chartas has censeo Censu:
Tutelâ adversus quæ quoque Virus egent.
Suscipere has placeat, queis Vos commendo Jehovâ
Tutori; Tutus, quem tegit ille, manet.
Conservet tutos Vos Maxima Nomina Numen,
Consilia & cursu prosperiore beet!
Tuta stet Illustris Princeps cum Principe Nata;
Filius & Populi Pupula tutus agat!
Crescat ô hic Vester Pupillus, & auctior annis
Tutorum Tutor sit, Patriæq; Pater!

Illu-



Illustrissimi Comites,
Generosissimi Barones,
Domini Gratijsissimi.

Viri Generosi, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Plur. Re-
verendi, Excellentissimi, Clarissimi, Doctissimi, Huma-
nissimi, Domini Mæcenates, Favitores & Amici ætatem
suspiciendi, deamandi.

Auditores Optimi.



Ræcorum olim pueros, quando ille Mundi o-
culus aliquâ nubis cute obtegebatur, complois mani-
bus exclamasse; *Exer' ô Sidus illud: Exere caput, amice Sol;*
vel, ut alii brevius allegant: *Exorere, ô Sol;* ex Eustathio,
atq; in idem Aelio Dionysio abundè satis ac liquidè con-
stat. Quod illis circa ludicra exercitia actionesque so-
lenne fuit pueriles, voverè, atque Solem sibi faventem
exorare; id potiori jure desideria Ducatus Lygii longo
retrò tempore contenderunt, atq; devotis labijs frequen-
ter ingeminarunt; *Exorere Illustrissime Dux Christiane, exere tandem ô Sol, Sol*
desideratissime, exere caput amicissimum. Non equidem sub eâ Cœli vivimus
plagâ, cujus incolæ parcius ac rariùs *Solari* collustrantur *lumine;* quibus in cre-
pusculo nox, in meridiè vix crepusculum gressus atqve negotia dirigit: quæ
misera vivendi ratio Batavos circa novam Zemblam Fretumque Nassovium im-
mane quantum affixit; sub salubri ac temperato spiritum trahimus climate;
commodum nobis magnum illud Luminare vultum suum offert, commodum
ac tempori iterum aufert. Verùm minus serena hæc serenitas, minus lucida
hæc visa lux, dum *Sidus* illud *animatum* & oculis & animis jucundissimum diutulè
his locis fuit subtractum. Alterâ jam vice *Sol* cursum suum confecerat, ubi à
gratiore hoc aspectu exclusi quasi defoculi caligavimus. Hinc non per circos
puerorum lusitantium, sed per omnes Status Tribusq; alia fini, ac intentione
plus seriâ similis auditus suspiratus: *Exere, exere caput, amice Sol.* Nec cassæ
hæ preces omnimodè; compotes tandem votorum redditi: Exoriebatur vel
Sole ipso applaudente, *Sol noster optatissimus,* exerebat non visum hæctenus *Ho-*
rizonti Lignicensi caput, atq; cunctos civitatis angulos, incolas vel advenas, luce
perfundebat longè uberrimâ. Quæ lingua sufficeret enarrandis gaudiis, quæis
exultabant universi? Negatas tormentorum dispolesiones supplebant manuum
complolesiones, & pectorum fidissimorum tripudia. Cedebant nubes, fugie-
bant tenebræ, cuncta hoc *Sole* lucente videbantur *illustria.* Nec dum era-
mus ab omni parte beati; Infelix Nautis solitarium *Sidus,* & quandoq; naufragi-
is infame. Verùm enim verò non ita longè, integratum, quod mancum,

B

con-

consummatum, quod imperfectum, pondere, mensurâ ac numero constabat felicitas nostra iustissimo, postquam reliqua *Sidera Cælo* huic auspiciata conjunctione sese sistebant; *Illustrissima Loisa*, tanquam *Phæbe* splendidissima, *Phosphoro* ac *Aurora* h. e. *Serenissima Sobole*, Utriusq; Sexus, *Georgio Wilhelmo* ac *Charlotta*, insignibus *Domus Pyastæ* Pyropis stipata. Quid poterat deesse ad nitorem? quid ad Majestatem desiderari? Quid ad jucunditatem ultrâ expeti? Non quinquam affecerit adeo spectantem *Cælum*, quod *Syracisus* oliarè vitro fabricavit *Archimedes*; nec quod *Perfarum* Rex *Chorbes* ex eadem extruxit materia: nec quod *Patrum* nostrorum memoria *Ferdinandus Augustus Solymanno* *Turcarum Tyranno* *Constantinopolim* misit argenteum. Umbrae erant hæc machinæ; nihil æstimanda isthac *Artis Opera*, si cum *Cælo nostro* tot vivis ac nativis *Astris* conspicuo, in comparisonem vocentur. Abjuraverit *Alcinous* *Stellas* *Horti* sui *Roseas*, *violaceas*, *lilias* spectare unquam; si deliciofum tot *Florum* in *Firmamento Pyastæo* scintillantium spectaculum ei obtigisset. Lata tenus hæc omnia, omnia serena, nisi quod morbosera quædam nubes moliebatur radios vitales *Phæbi nostri* obscurare, ne dicam intercipere: facile verò & arte *Medicantium* & suspirante ardentissimarum precum subsidio brevi depulsum iri spes tenebat singulos immota. Ast & illud hic usu veniebat; *Inesperata* magis eveniunt, quam quæ speres. *Pharmaca* vel præsentissima videbantur in cassum laborare; *Iple Serenissimus Princeps* sentiebat aliter *Superis visum*, ac legem decretoriam non posse pretio redimi, non prece mitigari, nec viribus humanis refigi. Prospiciebat ergo *Domui*, ac optimum *Domus Cimelion*, unicum *Filium* ac *Heredem* vivens vidensq; dissimulatâ tamen imminenti *Fati* necessitate ad *Locum* *Educationi* dudum destinatum, dimittebat, atque benedictione paternâ viaticatum, *Supremi Tutelæ* committebat. Venatum tendit miser *Princeps* latus singulari hæc concessione & indulgentiâ, inscius, quod sequenti factum die, *Mortem*, potentissimum *Venatorem*, *Paterno* pectori lethale fixurum esse telum, clausurumq; oculos *Ei*; cujus erat *Ocellus*, *Corculum* atq; *Animula*. Heu tristem *Cathastrophen*. O *Fata dura*, aspera, misera, horrida! *Solis* dies *Solem* nostrum abstulit. *Fama* feralem inflans lituum per vicinos, per compita, per domos meat, ac mœsto insonat murmure: *Occidit Sol*: condidit, condidit, *Phæbus noster*, amicum *Caput*; *Eclipsatum* est per *Mortis* violentiam *Sidus Patriæ Illustrissimum*; Patere, *Disertissime Romuli Nepotum*, ut, quæ tu de *Crassi* obitu, ego occasu *CHRISTIANI*, heu quondam *nostris* exclamem! O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam: & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicerent potuerunt! O obscuracionem *Canopicâ* funestior! O tenebras penè omnem solatii lucem absorbentes! Ab hoc *Sole* illustrata sunt reliqua *Sidera*; unde *Cælum* nunc nostrum non *Cælum*; sed *Cœnum* ac informe videtur *Chaos*. Erepta sibi rigens mœrore stat *Diana*; argenteum jubar pullo amictu ac lugubri decolorans schemate; vel *Alcestes* exemplo suâ morte, si optid ac facultas daretur, *Admeti* carissimi redemptura mortem. *Phosphorus* cum *Orione* venatui inhians, allato nuncio adeo mœsto, quasi sagittâ, cor *Filiale* ictum sentiens squalore vultus nitorem commutavit. *Aurora nostra*, abjecto habitus decore, facie stat nubila, purpuræ genarum rigor successit pallorque; oculi prominuli ac lacumarum fallugine fere exesi; *Nymphæ* flentes flumen *Marsyam* dictum profuderint; *Hyades* piæ luctu fraterno squaluerint; *Leucobee nostra* pia non minus in *Illustriss. Parentem*, *Manibus* ejus amarissimum oculorum rorem, imò imbres consecrat. Nolo, *Illustrissime Domine*, *Domine*, *Auguste*, *Comes* de *Lignitz*, *Domine* *Districtus Pribornensis* in *Cantersdorff* / *Neudorff* & *Cortwiz*, nolo vulnus refricare; externa tamen interna esse quis non videt? Qui non lugeret *Sideris* occasum, cujus radiis tam impensè amavit collustrari? Amor

Amor *Pollucis* ac *Castoris* *Pœtarum* canitur pletris, & quidem quod *Pollux* à *Jove* ductam immortalitatem cum *Fratre* *Castore* alternatim vivendo moriendoque communicavit. Ut res fidem videatur superare, atq; merito in figmentis deputetur, ausim tamen affirmare, si fieri pote, à posteritate veram hic *Historiam* vel lectum vel narratum iri. Sedeant ad *Eridani* ripas *Phaëtonis* fulmine dejecti *Sorores*, atq; in alnos conversæ pro lacrimis electrum fundant. Nec *Illustrissima Domina Soror*, *Domina JOHANNA ELISABETHA de Zeipe* / in *Schwenting* / *Rnteguis* / *Carlsdorff* & *Weinberg*; nata *Baronissa* in *Lignitz* / as triplex circa pectus gerit, quin fletum doloris testem eliciat; dolet, gemit, lacrumatur, *Christianorum* tamen more ac lege moderatè, certissima *Astrum Fratrum* non extinctum penitus, sed brevis spatii nubecula tectum in conjunctione illa æternitatis radios gloriosius sparfurum. Quid loquar *Illustris Patriæ nostra Sidus*; *Illustrissimum Comitem ac Dominum*, *Dominum CHRISTOPHORUM LEOPOLDUM Schafgotsch* dictum *S. R. I. Baronem* *Semper Liberum*, de & in *Kinasti*, *Baronem* in *Trachenberg* / *Hereditarium Districtus Kinast* / *Bressenstein* & *Bobersdorff* / *Sac. Caf. Majest. Consiliarium* intimum, *Camerarium*, *Supremæ* in utraq; *Silesia Curia* *Directorem*, ejusdemq; *Cameræ Præsidentem*, qui dum post *Fraterna Fata* unicum non tantum *Sanguinis* propinquitate, sed & mentis sincerioris nexu conjunctissimum *PRINCIPEM* reliquum haberet, ac interceptum *Sibi* *Morte* auditq; ac videt, non permittit innata *Eidem* *Generositas*, ad faciles prona motus, quin graviter acerbeque percellatur. *Gravissima* siquidem *Rei* *jaçtura* est, cujus suavissima nullo non tempore fuerat usura. Nefas esset tacere consternationem animi, quâ *Illustrissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus*, *Dominus JOHANNES GEORGIUS*, *Princeps* *Anhaltinus*, *Comes* *Ascania*, *Dominus* in *Zerbst* & *Beerenburg* / *Elect. Brandenburg.* *Marchiæ* *Gubernator*, & *Supremus Campi Mareschallus* tactus & vix non dejectus, ubi primum tanto luctu *Domum* *affinitatis* arctissima vinculo sibi conjunctam, obtenebratam literis accepit interpretibus. Quid multis?

Danubio lacrimas miscet Sprea; triste Viadri

Et Fatum rautomurmure uterq; dolet.

Quomodo lamentis publicis deploratur *Solis nostri* occasus, præter rem esse duco deductius ostendere, siquidem ipsa rerum testimonia loquuntur. Loquitur *Processus* funebris, loquitur *Concio Cathedralis* ac *Parentalis*, loquitur *structum* affabre *Castrum*, sic dictum, *Doloris*; loquerentur *Pectora*, si per fenestram aut rimam oculos daretur intromittere, *Dominorum Capitaneorum*, *Consiliario-*rum, tum eorum, qui ex *Equestri*, *Civico* ac *populati Ordine*; loquerentur, ac palam facerent singula hæc *Pectora* singula esse *Doloris* theatra. Ah siccinæ *Mors* triumphat, ac *Fascibus* suis omnes se *fasces*, *sceptra*, *secures*, *Diadema-*ta, *purpuras* ac *infulas* submittere convincit. Sine hoc si esset, non vidissemus exanime *Illustriss.* heu olim *nostris Principis* *Corpus* in *Funereo* illo *pegmate* positum, ac omnium obtutui expositum. *Facies* sine facie erat, à qua nullus dimittebatur facie ad *tristitiam* composita; *Os* deprehendebatur *elingve*, cujus affamine absoluti plures, quam damnati; *Cor* frigebat, ardens aliàs amore *Numinitatis* fontes clausi ac sine lumine, nec tot *facula* ac *cerei* circumcirca *ardentes* *Solis nostri* extincti unci *explere* poterant *vices*, præstare *operationes*. Postquam autem hisce diebus, quisq; ferme, cujusq; *Ordinis* *Symbolas* *Amoris*, *Honoris* ac *Doloris* *debiti* contulerunt; *piaculum* foret, si *Ludus* *nostrer* officii ac *pietatis* *immemor* planè sit *ἀσώβολος*. Demandatum & hoc mihi ab iis, à quibus in me imperium, quod vel sponte facturus fuisset, nisi temporis absterruisset angustia. Distant quippe elucubrata à festinatis; neq; *Cleanthis* *lucernam* laudemq; redolere possunt ex arena quæ concipiuntur. Meritus, meritus *Illustriss.*

Iulius Dux CHRISTIANUS de Statu Scholastico, si quisquam alius, utpote qui in æstimanda dignè ejusdem Dignitate & Utilitate, quod auritus ac oculatus loquor testis, vix reliquerit parem. Deberetur itaq; ei ab hoc Ordine æterni nominis monumentum, eoq; magis deploro & huic Agamemnoni suum Homerum, & huic Augusto suum deesse Virgilium, mihiq; paupertini ingenii mei probè conscio ac impari Oratori pro rostris ejus laudes ebuccinandas; quia tamen hæc provincia à Superioribus palam mihi demandata, potius eloquentiæ periculum quam officii subire non recuso. *Principem ostendam in Sole, Solem in Principe.* Omnia verò hæc sine nitore ac palæstra, sine luminibus verborum ac stellis sententiarum. Extincto Rege Persarum ubiq; ignes extingvi soliti: moriente Christo pullam induere sidera; Pereunte Principe læticia emortua, & omnis ornatus, Ducatum & Urbium Proceres atrati. Dabitur ergo veniam, si impexo quoque & squalido utar eloqvii genere. Inauspicato successu progrediuntur, qui Solem & ventum adversum habent; ut ergo faustius in *Solis* ac *Principis* provehar comparisonem, imploro Vos humillimè, Primæ ac mediæ magnitudinis sidera, ne radios benevolentia ac Favonium attentionis mihi subtrahatis. Volumini conficiendo hæc materies sufficeret; sed temporis brevitatis, quantum pote, brevem me jubet esse, jubet & prudentia, ne tantorum Auditorum abuti videar patientia. Non de nihilo est, Imperatores, Reges ac Principes Symbola sua ac Hierographias ut plurimum à *Cælo, Sole & Astris* desumpsisse, indicio luculento, quod nullà re melius Sortis suæ sublimitas exprimatur, nullo colore ad vivum magis adumbretur. Humanæ laudis fastigium supergressus Imperator Carolus V. Hispaniarum ac Indiarum Rex adhibuit *Zodiacum* super arce rupi imposita pendulum; & in Circulo suo *Solem*: sed nondum in Auge vel Apogæo, quod maximum recessum *Solis* ab terra, qui est circa quartum ferè gradum Cancri, appellant. Quid vult Imperator tam erudito Symbolo ac ingenioso hieroglypto? Plura sperare, ex quo nondum omnia detexerat: & magna licet animi sui magnitudine ducere inferiora. *Coruscans Stella* fuit Henrico Valesio Regi Franciæ, cui Corona suffixa. Quid denotat aliud, uti Epigraphe notat, quam *Astra* Regibus viam monstrare? Eduardus Fortunatus, Marchio Badensis, S. R. Imperii Princeps *Solem* elegit, qui Laurum irradiat, his adjectis verbis: *Non aliter* i. e. quam Laurus vigorem & virorem in *Sole* ostendit. Plures adducere in proclivi esset, Johannem III. Ducem Cliviæ, Henricum Ducem Lygio-Bregensem, Heotoprectum Comitem Habsburgensem, aliosq; innumeros, qui Emblematis Symbolicis lucem ab hoc *Sidere* foenerari atq; Status sui sublimioris memoriam recollere voluerunt, si res & occasio ferret. In Insignibus *Illustrissimi Nostri Principis* nihil equidem *Astricum* invenio; ast præter cætera *Aquilas* quatuor, quæ volucres *Solis* dicatæ, *Jovisq;* censentur armigeræ; quo ipso connubio quasi *Cælo & stellis* se conjunctos indicare voluere, *astris* debere originem, quæq; excelsa sunt, terrenis insuper habitis semper cogitare: Et ut *Sol* omnibus prodest, vitamq; largitur, ac ob iniqua facinora exhorrescit, imo sanguine nonnunquam suffusus legitur. Ita Symbolo suo gloriosissimæ memoriæ *Princeps*: Pro Patria ac Populo dulce est profundere vitam; satis ostendit, quod salutem Populi urgente necessitate, vel sanguine redimere ac servare non detrectaverit. Minime opus est *Lucerna* Diogenis, quâ ille accensâ in dici umbilico querebat homines, ut *Principem* in *Sole, Solem* in *Principe* inveniamus: Ovum vix æque est ovum ac *Sol* Princeps & Princeps *Sol*. Qui Principes & Magnates *Solem, Lucernam, Lampades* & si quid igneæ naturæ excellentius est, appellant, autoritate omni exceptione majore nituntur, nec rationibus, quas inferius pleno modio admetimur, destituuntur. Jam olim Rex David *Lucerna* Israël dictus est; & hodie Franco-Galli Regem suum Sire ab illis mutuato vocabulo, quibus *ois, ois* *Sol* est, salutant. Plutarchus Reges, Principesq; *lampadis* comparavit. Quid de Alexan-

Alexandro dicam? *Sol* is assimilavit Principem, & unicum terræ esse voluit, ut unicus est Cæli. Quod magnum ambitionis emblemata ac documentum judicandum. Alexandro quidem conveniens, nulli Christianorum; Unum *Deus* nobis posuit *Solem*, at multos dedit *Principes*, quorum quisq; ditioni suæ ac subditis *Sol* est. Splendida *Solis* sunt encomia, augusta epitheta; dicitur Mundi oculus, Cæli gratia & decus, Dicitur jucunditas, Vitæ origo, Cor Naturæ, auri & gemmarum Parens, Moderator temporum, Siderum Princeps, Cælestium Corporum Rex, Fons lucis, Orbis miraculum, & pulcherrimum *DEI* ter Opt. Max. Simulacrum, uti eruditissimus Schottus in præclusionibus ad iter Ecstaticum toto Orbe celeberrimi Kircheri sparsim inventa in unum collegit. Nec deest suffragium Divinum: Ecclesiasticus appellat *Solem* Vas admirabile, Opus Excelsi; in loco alio ita enunciat: Gloriâ Domini plenum est Opus ejus: Nec derogat principi huic *Sideri Sidus* illud Principum Israëlitarum David, dum ait: In *Sole* posuit tabernaculum suum *DEUS*. Jactentur hæc de *Sole*, & quidem suo merito: Nec magnificentia titularum, bonos destituit *Principes*. Quid magnificentius, quod *Reges & Principes* non à Populo gentium victore, non à Romano Dictatore, non ab Oraculo Delphico, sed ab ipso Spiritu S. magno *DEI* Cancellario interprete Mose, appellantur *Dii*, appellantur *Filij Excelsi, Filij Deorum*, appellantur *Capita, Vertices, Clypei, Fundamenta Terræ, Portæ, Annuli Sigillares, Montes; Scriptoribus Ethnicis* dicuntur Patres blandi, Pastores, Lex animata, qualium titularum foecunda Homeri sunt scripta: Hinc ille Christianæ eruditionis maximus Varro, Arnobius scribit: Consulatus functi Patres, *Dii* proximi atq; augustissimi *Reges*: A cujus mente non abludit Ausonius: *DEUS*, ait, & qui *DEO* proximus, tacito munera disperit arbitrio. His adstipulatur magnæ mentis & sagacis ingenii Terullianus: dum *Principem* colendum indicit, ut hominem à *DEO* secundum, & solo *DEO* minorem, quem *DEI* spirantem & animatam *Imaginem* licet appellare. Sic ad ejus animum Plinius de Trajano: *Principem* dat *DEUS*, qui erga omne hominum genus vice suâ fungitur. Atq; hinc bonus *Princeps* Plutarcho vivum *DEI* audit *Simulacrum*. Quæ sane elogia num elogiis *Soli* tributis quicquam concedant, judicet, qui non in meridie caligat. His probe expensis modo allegatus Author Heinio quidam Scientiæ dictus thesaurus comparisonem hanc nostram utroq; comprobat pollice, scribens: Quale elegantissimum in *Cælo* simulacrum sui *DEUS Solem & Lunam* infixit, tale in Civitatibus ejus exemplum est atq; Lumen *Princeps*: Jura *DEI* similis qui dat mortalibus æqua; scil: rectâ præditus ratione, idq; habens divinum, non Sceptrum, non Fulmen, non Tridentem. Cultum *Solem* cum *Luna* ex Antiquitate abundè patescit; quorum splendore & nobilitate se pene seductum flos ille Patientiæ Jobus faterur. *Solem* omnium maximum Numen existimabant, quem & hinc Phœnicum, Theologi *υἱον ἡγαυῆς θεοῦ* nuncuparunt. Adoratum à Persis *Solem*, ejusq; imaginem crystallo inclusam ante Regem portatum obvium est, vel non planè in Historiis hospiti. Neq; aliter quam velut *Solis* Symbolum tanto honore habitum *Ignem* afferunt veterum apud Maimonidem scripta. Is de hujus vetustissimo in Chaldæa cultu ita in More Nobochim. Notum est, quod Abraham natus est in gente, quæ serviebat Igni, & in credulitate illorum, qui credebant, quod non erat *DEUS* alius, nisi *Stella*, sed ostendetur tibi à me credulitas in *stellis*, quod sunt *Dii*, & quod *Sol* est major inter *DEOS*. Et dixerunt, quod reliqui Planetae sunt *Dii*, sed *Sol & Luna* sunt maximi *Deorum*. Eò scil. erroris ex mentis cœcitate, atq; *Siderum* pulcritudine prolapsa sunt gentes, ut tribuerent Creaturæ, quod Creatoris est. Cespitarunt hæc circa *Solem*; *Soles* terrestres scil. Principes sæpe circa seipsos,

seipfos, dum fastu nimio turgidi notitiam fui deponentes omne Zenith Humanitatis se supergressos inaniter somniarunt. Quid Nabuchodonosor? Nonne Holoferni præcepit, ut omnes DEos terræ exterminaret, ut ipse solus pro Deo haberetur. Taceo hic Philippum Amyntæ Filium, Alexandrum M. Antiochum Syriæ Regem, Domitianum, Commodum, vanos vanæ Divinitatis Candidatos. Similitudinem *Solis ac Principis* nimium quàm exprimere, ac sibi arrogare voluit Persarum Rex Sapor, ad Constantium Imperatorem scribens: *Solis* atq; *Luna* se fratrem, & qui inter *Stellas* partem haberet, nuncupavit, uti apud Fulgolium legere est. Cognationem cum *Astris* ut eò clarius exhiberet, machinam tam grandem è vitro construi fecit, ut in ejus centro federet, tanquam in Terræ Sphæra, spectans sub pedibus etiam *Astra*, exorientiaq; ac occidentia *Sidera*: & sic mortalis cum esset, supra tamen omnem mortalitatis fastum & conditionem esse videretur. Tiberius perspecto C. Caligulæ fero & insolenti ingenio dicere solebat: se *Phaëtonem* Orbis terrarum educare. A tali insolentia alieni sunt Principes boni, noveruntq; se suo pede ac modulo metiri; sciunt, omne sub regno graviore regnum esse: non ignorant, quis illis dederit imperium; sciunt quæ homines, quis & animam: sentiunt eum Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & supra omnes Deos, ut Tertulliani verbis rem melius exponam. Hinc prudenter sibi Philippus cottidiè acclamari jussit; memento Philippe, te hominem esse. Hinc Antigonus ille senex cum Hermodotus quidam in Poëmatibus suis *Solis* filium, Deumq; ipsum prædicaret: nihil, inquit, in me hujuscemodi agnoscit, qui lasanum meum portat: Alios brevitatis causâ sicco pede transmitto. Divino juri consentaneas compellationes ac inscriptiones *boni Principes* non respuunt, quæ verò Supremo Monarchæ sunt propriæ, ejusq; honori derogant, ex animo detestantur ac declinant. Hinc fas & præter fraudem Divini Numinis eos compellere nomine *Illustrissimorum, Serenissimorum, Celsissimorum, Clarissimorum* demto abusu hujus vocis postremæ; qui omnes tituli unde quæso derivati nisi à *Sole* ejusq; affectionibus ac operationibus? unde iterum illa convenientia vel *lucè meridianà* clarius elucescit. Instar *Solis* suas ditiones illustrant boni *Principes, serenant* subditorum animos, nubesq; adversitatum depellunt, in Celso & quasi in *Solis* folio ac regià constituti sunt, virtutum *radiis* per omnes Orbis angulos *inclarescunt*. O dignitas! O Majestas hujus Ordinis! In hoc Ordine eminuit etiam laude nominis nunquam intermorituri *Illustrissimus ac Celsissimus* heu! quondam noster Dux ac Pater Patriæ Dominus **CHRISTIANUS** Dux Silesiæ Lig. Breg. Wolaviensis: cujus reliquiæ ac ossa nobilidre Sui parte in *Cælis* triumphante pridie composita ac solenni ritu tumulo illata. Hoc axioma ut gauderet gloriosæ memoriæ *Princeps* noster, habuit à Natura, Cultura & Virtutum usura. Stemmatibus antiquitatem ac primordia ad *Solis* incunabula rejicere velle summæ vanitatis effectus argumentum, cum *Sol* ante hominem sit conditus, tum *Sidus* hoc sicut corruptionis est expers; ita per generationis traducem non opus habet conservari. Quapropter stoliditatis incurrunt notam Arcades, qui de suis Majoribus gloriosi se *Πρωτογενεῖς* ante *Lunam* ortos jactabant: uti quidem canit sublimis ille Poëta Statius:

Arcades hinc veteres astris, Lunæq; priores.

Explosione non minus digni *Æthyopes* ἀπὸ τῆς θοῆς se dicentes, h. e. aborigenes, seu mavis, ex terra, quam incolabant, procreatos, itaq; cicadas in cono verticis gestabant, ad ostentationem antiquæ Nobilitatis. Jul. Cæsar suam originem à Venere repetebat, Triumvir Antonius ab Hercule. Valeant hæc vana, procul
sunt

sunt isthæcinania. Stemma Piastarum purpurâ Regiâ decorum, connubio Imperatorum, Regum, Electorum aliorumq; Principum, tum & rebus præclare gestis nonnulla per secula maximè illustre, cui non dictum, cui non auditum aut lectione haustum? Relatus est in Censum mortalium Dux noster *Celsissimus*, cum in Fastis signaretur annus Salutis partæ 1618. dies Aprilis 19. quem Aula Bregensis tanquam Depositarum nobile cum plausu excepit, Christoq; à quo & nomen ei mansit, veluti incentivum ad Virtutum *Principe Christiano* dignarum strenuam culturam per fontem regenerationis consecravit. Et *Sol* à DEO & reliquæ *Stella*, præ omnibus tamen *Soli* primatus tribuitur, uti ipse Gentium Doctor entheatus asserit. Alius decor *Solis* & alius decor *Luna*, & alius decor *Stellarum*. *Stella* enim *Stella* præstat decore. Ita quidem Omnipotens Conditor omnes producit homines, ut tamen alter alteri anteeat dignitate; & ab *Illustri* prosapia descendentes cum *Sole* teneant primas. Patre genitus *Illustrissimus* noster Divo *Johanne Christiano*, Duce Silesiæ Lygio-Bregensi: cujus per laudes spatiosi si animus esset, prius aqua defectura foret, quàm materia, tum etiam à scopo præfixo aberrare videretur Oratio. De tanto *Principe* præstat tacere, quàm pauca dicere. Et ea ipsa de causa superfedeo pertexere prolixam Majorum seriem. Non adduco Casimirum Instauratorem Pacificum cognominatum; prætermitto Boleslaum II. Audacem & Liberalem dictum: taceo Henricum Pium, Fridericum II. Ducem potentem; Fridericum III. Sapientem appellatum, Joachimum Fridericum, cujus Fama scriptis divulgata nullâ oblivione obliterabitur, aliq; Domus Piastæ ornamenta ac fukcimenta. Matrem habuit *Dorotheam Sibilem Marchionissam*: domo Brandeburgica, Principem nunquam satis laudatam, Johannis Georgii Septimi Electoris Brandeburgici Filiam. Joachimi II. Neptem, cujus Parens fuit Joachimus I. Academiae Francofurtensis, (in cujus mercatu Princeps noster *Illustrissimus* Georgius Wilhelmus rem egregiè faciat, & aliquando lucri plenus ad nos revisat!) Conditor, Avus Johannes, præstans eloquentiâ, Proavus Albertus, Achilles Germanicus; quos Principes non tam è familia Columnia, cui ipsi dederunt originem, deductos, quàm ex vetustissima Guelphorum prosapia descendentes saltem nominasse mihi jam satis erit: cum nullus propè in Germania sit angulus, quo fama stirpis nobilissimæ & potentissimæ non pervaserit. Quia verò ex Symmachi mente non solus vultus aut color asserit posteros in honorem parentum, sed nihil melius ac Virtus ipsa, hæc autem curâ, arte, usu & industriâ acqvirenda, Educatio non neglectim habita. Ut enim *Illustrissima Mater* Puero septenni per fata fuerit erepta, ubi ceu decantatissima Gracchorum parens sollicitam cum primis ejus habere debuisset rationem, omne negotium sibi incumbere existimavit providentissimus Pater; Præceptores ergò Ei dati Viri, elegantis doctrinæ, singularis prudentiæ & vitæ inculpatissimæ, qui Alumnum suum & literas, quæ necessariæ, docerent, & omni Virtutum genere, quæ inter familiam ducit Pietas, imbuerent, & gravitate simul ac venustate morum perpolirent; quod successu felici partim Bregæ, partim in Polonia, quo tempestas bellica velut naufragos eos ejecerat, primò Thorunii, posthæc verò in Electorali Brandeburgicâ domo *Sterrode* effectum datum. *Sol* Aquilæ pullos probat, degeneres pronuncians, qui *radios* ejus ferre nequeunt: Ita & *Principis Illustrissimi Pater* ceu *Sol* per institutionem sedulam Filium quasi pullum Aquilæ, quæ & Stemma ornat, aptum publicis conventibus, atq; adeò negotiis olim gubernaculi promptè tractandis reddere volebat idoneum; ne aliquando ceu *Vespertilio* cœcutiat, aut velut *Phæton* currui paterno insidens, à via declinet, seq; suosq; præcipitet ac pessundet.

Princi-

Principes siquidem, qui Proles suæ educationem negligunt, Rempublicam negligunt; cujus Salus à bona Principis educatione pendet, ut gravissimè P. Matthæus in vitâ Philippæ Catanensis dijudicat. Ex *aurora* secuturum æstimamus *diem*: ita etiam pueritia *Sideris* nostri indicio fuit luculento, quem datura sit aliquando Principem, *Jubare* scil. omnium Virtutum tale Stemma decentium, refulgentem. *Prudentia* primùm exeruit *radios* in deligenda sibi Vitæ Socia; ubi non tam oculum intendit ad Fortunæ bona, quàm dotes insignes Animi; quas auspiciato in *Illustrissima Principe, Divi Johannis Casimiri*, Principis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, Domini in *Berbst & Beerenburg*; Filiâ, *Vidua* nunc mortuissimâ, reperit cumulatifsimas. *Sol* per se quidem non generabilis, unde species monadica audit; fecunditatis tamen prædicatur Pater; conjungit enim se cum Corporibus Sublunaribus, plantis, herbis, floribus, arboribus, influxu ac complexu suo generationem efficaciter promovet: Ita & *Illustrissimus noster*, probè sciens, quantum in Domus conservatione momenti positum, cavere voluit; ne *stirps Pyastæa* marcesceret, & ramis omnibus truncata, penitus concideret ac extirparetur. *Sol* ac *Luna* quasi sub Emblemate pingunt amicissimum Conjugum nexum, quem Divinæ Literæ in Josephi somnio affabrè adumbrant; Id exprimere voluere ex Principibus Italiæ Guilielmus Marchio Turre Majoris & Hippolita Carretta ejusdem Marchionis Uxor; Ille pro Symbolo *Solem* adhibens cum Inscriptione: *Sic mutor ad illam*: Illa *Lunam* faciem obvertentem; hæc epigraphæ: *Me tuis ornari*. De Uxore loquitur *Sol*: id est, maritus Princeps: qui se figurâ *Solis* notat. Est enim Uxori Vir *Solis* instar; cum ab illo illustretur & ornatur, ut à *Sole* inferiora hæc omnia. Ut *Luna* lucem à *Sole* habet, ejusq; beneficio irradiatur, nobisq; conspicua fit; ita Uxor & Materfamilias à Viri Confortio, illiusq; dignitatibus ornatur & illustratur. Hoc beneficium se à Viro habere hæc Principissa agnoscit Symbolo: *Me tuis ornari*; Sibi enim gratulatur, quod illius societate & dignitate tanquam *Solaribus* radiis ornatur & illustretur; mulieris siquidem ornamentum Vir est, uti Phocionis dictitabat Uxor. Eadem, quæ Guilielmo Marchioni & *Illustrissimo Christiano* erat mens: Idem, qui Hippolitæ Carrettæ & *Loisæ Illustrissima* sedebat animo: quod illi hierographiâ, hi vitâ ostendebant. Mutabatur ad illam, h. e. amore conjugali ita tenebatur, ut suus amplius non esset, dumq; præsentia & copiâ Conjugis jucundissimæ frueretur, ita sentiebat se mutari, ut vitâ animòque suò in ipsius Corpus translato, *gratam Eclipsin* pateretur; Vulgare enim est, Amantes non esse, ubi animant, sed ubi amant. Vice versa *Dux nostra Celsissima* se encomiis atq; radiis Mariti decorari lubens ac palam fatebatur. Arcetiùs stringebat hoc amoris mutui vinculum, dum quater illum *Mater* fecunda *Patrem* redderet; & ita ab hoc *Sole* Arbor *Pyastæa* fecundata gemmas imò furculos funderet. Verum ceu in Proverbio est; *Sol* admonet; ut a *Sole* admonet, de his sim brevior, qui ipse jam præcipitans me quoq; sequentia, h. e. *Virtutum usuram* præcipitem pone coget evolvere. Orbem *Sol* radiis illuminat, Virtutibus Princeps. Enitet inter illas, velut inter ignes *Luna* minores *Religio*, *Pietas* & *Cultus*, quo Deum suum, prosequabatur; *Solem* adorabant Gentes; non minus, uti superius dictum & deductum, quidam Principes talis venerationis indebitæ laborarunt ambitu: Aliter affectus erga Numen Supremum *Illustrissimus*, à cujus Gratia sibi Dignitatem ac Principatus esse, lubens agnoscebat; gnarus erat *Pietatem* ad omnia & omnibus & inter omnes Magnatibus utilem esse ac summè convenientem; unde omnis & vera Felicitas dependet, vel Ethnico teste, dum ait: Deum colentibus omnia prospera eveniunt, adversa, spernentibus. Pugnant Reges ac Principi-

Principes, vincit in Principibus & triumphat Deus. Theodosius Persas & Sarcenos vicit, terrorem illis incusserat Deus: Heraclius in tribus Chosroes Ducibus ter Victor, non armis sed precibus stetit. Vincebatur Clodoveus, vincebat Germanicus: prosiit Rex ad vora Christianum se futurum, si vinceret, explevit victor votum, Christianus factus est: quin & è cœlis Childeberto in Amalaricum victoria venit: de Hunnis Aëtius, de Wandalis ac Persis Belisarius, & Gothorum Regibus Narès è cœlo triumpharunt; hæc sunt olivæ *Religionis*, hæc *Pietatis* palmæ, Ita & *Illustrissimus Noster* in *Pietate* omne præsidium ponebat, omnes adversitates propulsabat precibus, videbatq; post nubila *Phœbum*. *Astra* laudare dicuntur Dominum; & *Sol* noster decantandis Deo laudibus nunquam fatigabatur, quin potius in ædibus sacris sonorâ voce psallere, hymnosq; decantare gloriosum sibi ducebat, qualem observantiam cultus divini in Roberto Rege Historiarum prædicant monumenta. Hinc neq; curas publicas aggressus, nec ad corporis animiq; laxamenta se accinxit, nisi prius totum se Deo suo humillimâ devotione commendasset. Status Ecclesiastico-Scholasticus vel Scholastico-Ecclesiasticus, (quorum utpote Sororio nexu conjunctorum Dignitas ei in æquilibrî æstimo pendebat semper;) quo in vigore ilibato consistenter, nihil prius, nihil habuit posterius; æmulabatur & hæc intentione, *Solis* indolem, cujus calore semina in Hortis sparsa vegetantur & incrementa capiunt unice. Non secus ille *Seminaria Reipublica & Ecclesia* fovere benignè, ditare largiter ac *illustrare* splendide curâ sibi cordiq; habebat: neq; spes vana me habuisset; nisi vitâ subtegmen ternæ illæ rupissent *Deæ*, hunc Ludum nostrum insigni accessione ad exemplum beneficentiæ, quâ nitorem Gymnasio Bregensi restituere operam dedit *Illustrissimus*, ornandum ac amplificandum fuisse. Quam curam vero pro singulari in literas & hunc Ordinem propensione, quin sibi propriam dicatura sit *Serenissima Gubernatrix*, propitia Scholarum Nutritia, non est quod dubitemus quicquam. *Solis* cum aliis *Astris* conjunctio miros exerit effectus, jucundos aspectus præbet: quo non obscure adumbrari potest amabilis *Fraternorum animorum* unio; raro enim exemplo hic maxima deprehendebatur concordia. Mamertinus, insignis ille Panegyrista in Genethliaco Maximiani verba non habet, quibus Fratrum concordēs animos satis pro dignitate commendat: Inter alia ita colligit: Ex quo profectò manifestum est, cæterorum hominum animas esse humiles & caducas, vestras verò *cælestes* & sempiternas. Obtreçant sibi invicem artifices operum sordidorum, est inter aliquos etiam canoræ vocis invidia, nihil deniq; tam vile, tam vulgare est, cujus participes malignis æmulationis stimulis vacent: vester verò immortalis animus, omnibus opibus, omniq; Fortuna, atque ipso est major imperio. Vobis Rhenus & Ister & Nilus, & cum gemino Tigris Euphrate, & uterque qualem accepit & reddit Oceanus, & quicquid inter ista terrarum & fluminum & littorum, tam facili sunt æquitate communia, quantum sibi gaudent esse communem *oculi diem*. Quod sane ad hanc *Pyastæorum Fratrum* concordiam, non ineptè applicari possit. Namq; non solummodò divisis Ducatibus, unanimes & sibi invicem impensè addicti vixere, sed quod mirum, cum in eadem Aulâ versarentur atq; Ditionum administratione conjunctim fungerentur, ne leviculum quidem dissensionis deprehendere fuit indicium. *Pietas* in *Parentem* vel Josephi vel *Anea* pietatem provocare poterit, dum ossa Paterna ex Borussia, (quantis viarum molestiis!) Bregam transportare, tumuloq; honorificè juncta Dominorum Fratrum sollicitudo inferri curavit. Decantanda nunc foret *Observantia Domus Austriacæ*, nisi parcus temporis audientium benivolentiâ por-

tiâ porro frui expeterem. Sufficiat dixisse, quod officia sua *Aula Casarea*, & imperante *Ferdinando III.* & ad gubernacula sedente augustissimo Casare *Leopoldo*, *Domino nostro Clementissimo*, præfens probaverit, imò etiam quicquid ad emolumentum Dignitatis ac Utilitatis Leopoldinæ aliqvâ facere visum; vel cum dispendio sub suspicere non detrectaverit; agnoscens se summo hoc *Sidere Sidus* inferius & ad fidem atqve devotionem maximè devinctum. *Sol Tropicos* nunquam supergreditur, altiùs non ascendit, nec inferius se dimittit; *Princeps noster Illustrissimus* potestatis suæ atq; actionum terminos Æquitatem ac Honestatem statuebat, hos agnoscebat, fastu non transvolabat *Olympum*, nec vitiiis stygias tendebat ad *Undas*. Dicafteria sua volebat *Fidei* ac *Justitiæ* Delubra esse sanctissima, gnarus hanc omnium Virtutum haberi principem, in hujus unius pectore omnes reliqvas Virtutes tam *Moris* quam *Mentis* non aliter quam *Sidera* in *Cælo* lucere: & ex mente *Euripidis* neq; *Hesperum* neq; *Luciferum* æqvè magnam sui admirationem excitare, atq; ipsam *Justitiam*. *Sol* mundi dicitur *Oculus*; *Princeps* totus debet esse *Oculus*, mentis autem ocellus perspicacissimus est *Prudentia*; hæc sane, quia *Lucerna* animæ, virtutumq; nutritrix & auriga censetur, nihilo magis à summo *Principe* abesse potest, quam *Solis* à *Cælo* fulgor, aut ab ea navi, quæ feliciter navigatura, periti *Sapientisq;* gubernatoris industria. Non negata fuit *Illustrissimo Principi* gubernatrix hæc Virtus, quæ diu deliberavit, quod semel statuendum. Ut vero non totus alienis videre voluit oculis, ita nec ex consilio *Florentini* illius *Pseudo-Politici*, *prudentes Consiliarios* plane arcebat. *Jupiter* Planeta aliis aliqvot *Stellis* ut Rex ac Dominus quasi *Satellitibus* stipatus ope *telescopii* à *Galilæo Galilæi Magni* *Hetrurix Ducis* *Costmi Mathematico* primo observatus. Et *Soli* reliqvarum *Stellarum* *Satellitium* majori cedit ornamento; ita *Principi* ejusmodi *Apollines* *Delphico prudentiores*. Junxit & *Illustrissimus* semper sibi *Consiliarios*, maturitate graves, prudentiâ veteranos, negotiorum bene peritos, & notandis quam novandis rebus exercitatiore, quales *Homerus*, *Vir* *Judicio mirabili*, excellenti assignat *Principi*: neq; putavit numeris omnibus absolutum esse posse, *Regem* suum *Agamemnonem*, nisi habeat apud se honoratum *Nestorem*, cujus uti consilio possit pleno fidelitatis & prudentiæ: sine quo parum prodesse videbatur vel *Achilles animosus*, vel *clypeatus Ajax*, vel *Sagittator egregius Teucer*: vel strenuus *Diomedes*: vel insignis *sceptro Menelaus*, vel callidus & dolo princeps *Ulysses*: Quis navim dirigat sine ferro, quod *Siderites* affricuit, quis *Rempubl.* administret sine mente, quam afflavit aura divina? *Solis* familiares *Stella* sunt, quas puras novimus; *Principis* ad latus non meretur alius admitti, quam crimine purus, & liber ab affectu. *Sol* calore omnes unus fovet; *Amore* & *Clementiâ* *Princeps*; & hoc sva det *Prudentia*, quæ apprimè videt hæc ipsa subditorum animos arctissimè devincti ac converti ad *Principem*, juxta illud *Claudiani*:

Non sic excubia, non circumstantia pila,

Quam tutatur amor; non extorquibis amari:

Hoc alterna Fides; hoc simplex Gratia donat.

Frustra se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit, ut censet sapienter *Plinius*. Hac etiam ratione non sanguinolentis consiliis & mediis *Noster Illustrissimus* Populum in officio continere, sed *Humanitate* & *Clementia* pro innata bonitate favorem ac fidem sibi conciliare semper studuit. *Solem* non homines modò & animalia, sed & ipsa quoq; venerantur *Planta*, communem quia *Patrem*, bonorumq; dispensatorem habent æqvissimum. Eadem *Subditorum* in *Principem* mens esse debet, nî *Solem* illum *Justitiæ* ultorem velint, quæ etiam maximè

maximè benevola & addictissima *Illustrissimum* profecuti sunt viventem, quotquot *Ducatum* cives ac incolæ, cujus tenerrimum nunc demortui desiderium insigni est argumento. Promeruit id etiam indefessa cura & vigilantia pro publica Salute, quæ suprema eidem erat lex. *Sol* continuas agit excubias, & nostris quandoq; licet effugiât aspectus, nunquam tamen sine motu est, nunquam quiescit: sic *boni Principes* pro Grege suo excubant, & corpore licet videantur quandoq; requiescere, mente tamen continentur curas. Si per exempla ire & liceret, amplissimus sese aperiret campus; Sed *Sol* monet. Deprehendimus hoc in *Illustrissimo Nostro*, qui illud putavit sibi à *Silio* acclamatum:

Turpe Duci totas somno consumere noctes,

O *Rektor Lybia*, vigili stant sceptrâ *Magistro*.

Quod nec corpore debili & caussario intermisit, adventusq; ad nos utut ægerri-
mè valentis emolumentum publicæ salutis intendit unice. *Sol* in tertris radiis benignis aurum educat; *Princeps* bonus alit in animis subditorum amorem, auri non est sitiens ac tenax adeò, quin quandoq; quasi imbre aureo munificentia bene meritos perpluat: Ita nec *noster Illustrissimus* à vultu suo quenquam passus est tristem discedere, quin imò sponte & non interpellatus liberalitate larga subditorum egestatem sublevavit; vectigalibus ac tributis populum exhaurire abhorrebat, dicens cum *Theodorico*; opes nostras cupimus thesauro pietatis augeri, execrantes commoda, quæ nobis vexatorum fuerint calamitatibus acquisita; molesta est illatio nostræ *Clementiæ*; quæ defletur. Vox planè *Principis* digna: nam pio *Principi* non possunt non molesta esse gravesque suorum lacrumæ, qui desiccandis illis natus videtur & à Deo datus. Possit hoc egregiè, si temporis ratio svaderet, in *Mensa Solis* præfigurari. *Hieronymus* de quodam hanc videndi cupido ita scribit *Epistola* ad *Paulinum*. *Apolonius*, sive ille *Magus*, ut vulgus loquitur, sive *Philosophus*, ut *Pythagorici* tradunt, intravit *Perfas*, pertransiit *Caucasum*, *Albanos*, *Scythas*, *Messagetes*, opulentissima *India* regna penetravit: & ad extremum, latissimo *Phison* amne transmissio, pervenit ad *Brachmanas*, ut *Hiarcham* in throno sedentem aureo, & de *Tantali* fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus *Siderum*, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per *Elamitas*, *Babylonios*, *Chaldæos*, *Medos*, *Assyrios*, *Parthos*, *Syros*, *Phœnices*, *Arabes*, *Palæstinos*, reversus *Alexandriam*, perrexit in *Æthiopiam*, ut *Gymnosophistas* & famosissimam *Solis Mensam* videret; Quam ita describit *Herodotus*: Est in *Suburbanis* pratium quadrupedum omnium, asâ refertum carne, quam per noctem singuli civium Magistratus properant ponere; ad eamque, ubi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem ex terra reddi assiduè indigena dicitant. Quocirca *Cælius Rhodiginus* in suis antiquis *Lectioibus* docet, *Divitum* domos omnium copia affluentes, expositasq; inopum necessitatibus recte dici *Solis Mensam*. Si quæ alia *Aula*, sive *Bregenſis Solis* vocitari *mensa* promerita est; strata illa magnificè, citra tamen luxum, & prout conditioni *Principum* convenit; Non *Sybaritica* hic profusio dominabatur, exulabat verò etiam fordities in *Tiberio Casare* taxata, qui vel solennibus diebus pridiana obsonia & semesa apposuit suis, & sibi quoq; dari jussit, ut in *Svetonio* legere est, quod si omnes actus *Munificentia* referre vellem;

Icaria numerum dicere coner aquæ.

Unicum non tacendum duco, quod *Sol Noster* etiam de micis *Mensa* suæ pauperum recreare voluerit liberos, hoc est, si pendii sublevare *Ingenia* ad literas nata, mediis tamen emergendi destituta, & *Liberide* nudiora; id quod *Plinius* præpri-

præprimis in Trajano laudat; Rectè, Cæsar, inquit, quod spem Romani nominis sumtibus tuis suscipis: Nullum est enim magno Principe, immortalitatemq; merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteris; Locupletibus ad tollendos liberos ingentia præmia & pares pœnæ cohortantur; Pauperibus educandis una ratio est bonus Princeps. Hic fiducia sui provocatos nisi largà manu fovet, auget, amplectitur, occasum Imperii, occasum Reipublicæ accelerat. Quò plura adduxi, hòc se plura ad dicendum offerunt, verùm ne favonio Vestræ Benivolentiæ destitutus ad scopulos impingam, littus erit legendum. *Illustrissimus* noster *Christianus*, quamvis *Excelsus*, non despicebat imos instar *Solis*, qui sublimis non averfatur humiles. *Sol* nulli lucem nisi tantum cœcis subtrahit: Ita & *Illustrissimus noster*, nulli subtrahere favorem nisi indignis vel eo abutentibus. *Nubila* vincit *Sol* tempestatis; Invidiæ vicit *Noster*, de eaq; post Fata triumphat. *Sol* duram emollit ceram, molle indurat lutum. Non secus *Illustrissimus noster* duri pectoris homines ad humanitatem emolliebat, molles in adversis ad patientiam indurabat. *Nube* quandoq; regitur *Sol*; ita & *Principes* adversitatum; quas *Illustrissimo* non defuisse ex Vita edocti sumus Curriculo. Tempore Justiniani Imperatoris *Sol Luna* instar sine radiis lucem tristem præbuit, patienti-similis; Occiso Dictatore Cæsare, & Antoniano bello, toto anno *Solem* diro mortalibus omine, impalluisse ferunt: Ita *Principes* etiam sæpe casibus acerbioribus exercentur, Manesq; patiuntur suos, ut præ horrore ac mœrore videantur expalescere. Expalluit *Illustrissimus*, expalluit *Sol* noster, exanime in Borussia Parentis gloriofæ memoriæ intuens cadaver. Expalluit geminæ Utriusq; Sexus Soboli justa exsolvens. Expalluit, postquam amabilissimo Fratrum Pari successivè Exequiæ curandæ; nec singula properanti sese offerunt. *Morbos* quosdam *Chronicos* in *Sole* observavit curiosa modernorum Mathematicorum solertia. *Principes* æquè ac inopes Coloni à morbis non sunt immunes: & hic illud obtinet: ad lectum ad lethum. *Quibus* cum etiam *Illustrissimo* nostro multis retrò temporibus fuit confictandum, neq; præsentissimis panaceis eorum vis ac impetus sese infringi, nedum propulsari patiebatnr, donec 28. Febr. circa 11. merid. è diversorio per ægritudines diturnas ruinoso cedere animam ac emigrare cogeret. *Sol*, antequam Oceano mergatur, quasi saltu tripudiante ac nutu amico Orbi valedicit; *Illustrissimus*, qui diu Occasum præviderat & mortem sibi fecerat familiarem, paratus, si res ferret, ei obviam procedere; Domui suæ proinde disposuit. *Filium* unicum, *Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum GEORGIUM WILHELMUM* ad locum pridem studiis excolendis destinatum ablegavit; *Conjugi Illustrissima, Illustrissima* pariter *Filiæ* stipatus, *Ministris* fidelissimis ultimum dixit Vale, atq; sequestrato, quicquid curarum est terrenarum, in Deum unicè defixus, *Christi* merito confusus, quasi inter brachia Salvatoris sui excessit placidissimè. *Sol* *Eclipses* suas patitur; heu *eclipsatus* est *Sol* noster: Occidit *Illustrissimum Sidus*; heu quanta obscuratio inumbravit *Severissimam Domum!* Post *Solem* occasum umbræ terris incubant tristes. O umbras mœroris plenissimas! O tenebras *Aegyptiacis* funestiores! *Luna* quidem cum longè distat à *Sole*, *Illustris* est & lucida, cum appropinquat, obscura. Verùm longè res aliter habet in *Astris Cæli* Conjugalis, quam prope conjungi amant, disjungi dolent, ac averfantur. Hinc gemit *Illustrissima LOISA*, ac acerbissimè discidium à *Phæbo suo* deplorat. Frustra, frustra miserima verbis Marchionissæ illius Hippolitæ Carrettæ clamat ac expetit: Me tuis ornari. *Quantas* hæc *Eclipsis* in Utriusq; *Sobolis Illustrissima* animis, utpote tenerrimo *Patris Celsissimo*, amore & reverentia semper ad-

dictæ operationes mœsitudinis exerat, quis non videt de facili? Stipantia hunc *Solem* quidem & consiliis eidem *affulgentia Astra* stant attonita, fulgore omni destituta quasi luctus acerbissimi ferrugine obducuntur. Verba me deficiunt, quibus universi Populi Nobilium ac Civium dolorem, in quem *obscuratio* amabilissimi sui *Sideris* conjiciuntur, satis exprimam; *Heliotropii* instar, cum se omni tempore ad cursum ac nutum *sui Solis* observantia, fide ac amore converterint, jam quò severtant, non habent; qui ergo hac passione ac obscuratio non vehementer afficiamur? *Aegyptii* planctum ac lamenta instituebant ob amissum *Adonim*, per quem nihil aliud quam *Solem* notabant; Ah etiam *Adonim nostrum*, nostrum *Solem* amissum plangimus ac lamentamur, sed ubi inveniamus, non invenimus. Anima translata est ad *Cælestem* illam *Civitatem*, super cujus Incolas non cadet *Sol*; ubi non est *Nox*, neq; opus eis *lumine Lucerna*, neq; *lumine Solis*; quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum: Corpus anima cassum in lugubri pegmate repositum vidimus, *Solem* nostrum, semel per Mortem amissum. Necquicquam ergo quarimus *Adonim* ac invenimus in Virtutum Simulacris & Gloria æternantibus Monumentis; invenimus in *Tabulis Testamentariis* paternæ vigilantia, etiam dum decesserit, erga Dominum ac Subditos regendos indicibus; invenimus in *Illustrissima Conjuge* Gubernatrice Ducatum constituta; in *Illustrissimo GEORGIO WILHELMO*, tanquam Centro expectationum nostrarum: Invenimus in *Tutoribus ac Conventoribus* fidelissimis. *Soles* occidunt, ut orientur; *Soles Principes* occidunt & orientur in relicta Sobole, præprimis Masculâ. Hoc præsidio ac spe subnixus potuit *Illustrissimus noster* tantò quietiore animo terris excedere; Non secus ac *Philippus Macedo*, qui moriens ad Proceres flentes & adstantes dixit hæc solandi ergo: Non moriar, quia Alexandrum, in quo vivam, in terra relinquo. Faxit Deus Optimus Maximus, ut *Illustrissimus Princeps*, qui mori nobis visus, in Filio Principe, atq; ejus innumeris Posteris vivat ac regnet! Moriturum Edwardum IV. Regem Britannia cum Cancellarius dixisset, annon doleret, quod tam splendida Palatia & Possessiones relinquere deberet, respondisse fertur, Liberos Regios ostendendo; ista pignora erunt mihi eburnea palatia, in quibus habitabo, quoad stabunt. Sint *Illustrissimus Filius Princeps*, pariterque *Severissima CHARLOTTA* eburnea etiam Palatia, in quibus defunctus *Illustrissimus Dominus Pater* habitet, & ut diu habitet, stent divina benignitate suffulti, insetur *Apollo Sol & Sol Apollo*. Obineat hoc inter nos Veriverbium & latitiæ Classicum: *CHRISTIANUS, GEORGIUS WILHELMUS, & GEORGIUS WILHELMUS, CHRISTIANUS*. Inane de *Sole* somnium prodidisse scribitur Xenophanes: qui putavit eum in occasu perire, sed exortu novum fieri *Solem*. Perit, quâ Corum cum anima renovatus majori gloria jungatur; novus verò redditur non proprio ortu, sed *Filii Principis* egregios Paternarum ac Avitarum Virtutum radicibus jamjam spargentis; Cujus gressus dirigat Deus, sitq; ei quasi *Columna ignea*, prognatus *stellis*, imò, quod in Proverbio est, *Solem* in manibus gestet. *Adonis*, ut supra memoratum, plangebatur à mulieribus, quasi mortuus, & postea reviviscens canebatur atq; laudabatur. Moderemur itaq; etiam acerbiori luctui, ac *Adonidem* vel *Solem* nostrum reviviscentem in *Illustrissimo Principe GEORGIO WILHELMO*, canamus, laudemus ac Deo precibus commendemus! Rerum Indicarum Scriptor non ignobilis memorat in Insulis Goa & Malacca reperiri Arborem

borem ab Incolis Singadi, à nostris tristem dictam, quæ *Solis* aspectum contra communem arborum ac plantarum naturam averfari videatur; ad *Solis* ortum pallefcere, nocte viridem esse, nunquam interdiu flores, sed nocte tantum ostendere: rebelles huic arbori similes cenfet Linnæus; Ab hac longe alieni Subditi quondam *Illustrissimi Principis*; tantum abest enim, ut *Solem* hunc averfati sint, & potius æternum ejus animitus exoptaverint Lumen. Interim omnes grati agnoscunt & pro ingenti beneficio habent, quod *Luminare alterum*, *Illustrissima* nempe *LOISA* adhuc luceat. Opatiatur Omnibonus Deus Hujus Jubare omnium incumbentium curarum ac sollicitudinum noctem illustrare; ut velut illa Arbor ad Lunæ splendorem, nos ad *LOISÆ Serenissima* influxum virides conspiciamur, & flores, ex floribus felicissimos fructus effundamus! *Sol* sit Ei *DEUS*, qui radiis Sapientiæ desuper Intellectum illuminet; *Astrorum* etiam comitantium, hoc est, Dominorum Tutorum Con-Tutorum ac Consiliarium Consilia ac Conamina lato serenet eventu. Plinius meminit, Mithræ *Ægyptii* Regis, qui in *Solis Urbe* regnans primus obeliscos *Soli Numini* consecratos posuit.

Quam dabimus Statuam Tibi, quem, SOL CELSE, COLOSSUM?
 Qui Famæ radiis par queat esse tuæ.
 Nos STATUÆ sumus, in nobis tua GLORIA fulget,
 Doncc erit PRINCEPS, SIDERA donec erunt.

EPITAPHIUM

Illustrissimo atque Celsissimo Principi
 concinnatum.

Cujus sit Loculus, si quæris fortè Viator,
 Materiamq; stupes, Artificisq; manum.
 Hæc quamvis fulgent, fuerat fulgentior illis
 Clausus eo Dominus, Duxq; Paterq; Suis.
 Nomen erat Christianus ei, nec Nominis Omen
 Deerat; nam Christo vixit & occubuit.
 Surculus hic serus primâ est à Stirpe Pfasti,
 Tantum una linqvens Fronde virere Domum.
 Pro meritis Patriâq; Fide se Patria debet,
 Debet ei sese non minus Aula Patri.
 Conjugisq; Celsæ si servat Stemma Propago,
 Fas Tumulo flores spargere semper erit.
 Fas immo, ut fiat pretioso ex Jaspide Cippus,
 Hic Phœnix (scripto lemmate,) Noster erat.
 Hæc reputans Cineres Voto reverere Viator,
 Quæque sit Excellæ Sortis imago, vide.



OCCIDIT SOL,
 Occidit heu SOL noster!
 ANTIQUITATE STEMMATIS CLARISSIMUS,
 quod
 SOLIS SOLES DEDIT,
 SCEPTRIS REGES APTAVIT,
 unde
 IMPERATORES GRÆCI ÆQUE ac ROMANI
 IMPERATRICES, REGES REGINAS, ELECTORES
 ALIQUÆ S. IMPERII PRINCIPES THORI CONSORTES
 VITÆQUE DECORA ac SOLATIA PETERE
 DIGNATI.

OCCIDIT SOL,
 Occidit heu SOL noster!
 CORPORIS, FORTUNÆ, PRÆPRIMIS ANIMI
 BONIS CEU RADIIS ILLUSTRISSIMUS;
 Illustrissimus
 QUA INDOLIS BONITATEM,
 quam Ephori egregiè poliere, facemquæ optimæ Doctrinæ
 præluxere;
 QUA CONJUGII FELICITATEM,
 ascita sibi ex Cœlo Anhaltino
 CASTISSIMA DIANA,
 Cui cum PHOEBO suo mutuum Jubar, h. e. Idem Velle
 & idem Nolle.
 Illustriorem reddidere horum SIDERUM conjunctionem
 alia Subnata SIDERA; denatis
 GEMINIS.
 PHOSPHORUS cum AURORA superat; hoc ASTRUM Principis occasu,
 mirum quantum obscurata, & densa mœroris, quam NUMEN
 Lumine Solatii cœlitus dispellat!
 cœca Nube.

OCCIDIT SOL,
 Occidit heu SOL NOSTER!
 ILLUSTRISSIMUS ac CELSISSIMUS PRINCEPS
 ac DOMINUS,
DN. CHRISTIANUS,
 DUX SILESIAE LIGNICENSIS-BREGENSIS
 WOLAVIENSIS
 Pater Patriæ, Pastor populi, Princeps Virtutum splendore
 SERENISSIMUS;

Ex quo eluxit Religio erga DEUM; Pietas in Parentes; Constans devotio erga SUMMUM in terris PRINCEPES; Amor erga Illustris. Conjugem; Paterna cura circa Illustris. utriusq; sexus Liberos; Charitas & Benevolentia in Subditos; Prudentia jubar; Justitia cum Clementia temperata studium, Vita Integritas Candorq; & si quicquam aliud tam Excelsum Stemma exornat; luculentissime:

Occidit heu! pridie Cal. Mart. An. Chr. N. M. DC. LXXII.
Composita solenni pompa Corporis exuviae praeterito Jovis die.

Cujus Memoriam cum in Lyceo nostro, oratione Panegyrica instanti die à Saturno denominata circa VIII. Mat. commendare mihi demandatum sit, imperata facere debui, volui: sistamq; Illustris. CHRISTIANUM
sub

SOLIS EMBLEMATE.

Nitorem, qui fortean Eloquio decedat, pensabit & excitabit Siderum adventitiorum Fulgor; quo ut atratam hanc Scenam irradiare praesentes SUMMI Maximi, Medioximi & quotquot Virtutum Conditi Solis nostri aequi Aestimatores, dignentur, humillimo invitat precatu

Ephraim Heermannus, P. C.
Scholarum Rector.



PANEGYRICUS
ÆTERNATURÆ GLORIÆ,
SERENISSIMO, CELSISIMO
PRINCIPI DOMINO,
DOMINO
CHRISTIANO
ULRICO

DUCI WIRTENB. TECC. IN SILES. OELSN.
ET BEROLST. COM. MONTISBELIG. DOM. IN HEID. STERNB.
MEZB. AURIS.

PIETATIS IDEÆ, VIRTUTUM ATLANTI
Consecratus.
IPSO SEPULTURÆ SER. DIE
XVIII. JUNII
COELO, ORBI, POSTERIS,
IN GLORIAM, FAMAM, EXEMPLUM
EXHIBITUS
Æra CHRISTI. MDCCIV.
AUCTORE

Christ. Alb. de Lenz,
S. D. W. à C. A.



OLSNE,
Typis Heinrichi Bockshammeri, Aul. Duc. Typogr.